



DE
VTILITATE
EXPEDITIONVM CRVCIATARVM

COMMENTATIO HISTORICA
PARS PRIOR

PRAESIDE
IOANNE MATTHIA SCHROECKHIO

HISTOR. PROF. PVBL. ORDIN. ET BIBLIOTHECAE ACA-
DEM. DIRECTOR. DESIGNATO, INSTITVT. REGII HISTO-
RICI GOTTINGENS. MEMBRO ORDINAR. ET SOCIETATIS LATIN.

MARCH. BADENS. SODAL. HONORARIO

D. X. IAN. MDCCLXXVI.

HORIS ANTEMERIDIANIS

IN AVDITORIO MAIORI

DEFENDENDA

AB

AVCTORE

GODOFREDO AVGVSTO MEERHEMIO

AA. MAG.

VITEBERGAE,
EX OFFICINA BOEHMERIA.

SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS SAXONIAE
IN
SENATV ECCLESIASTICO
SVPREMO
P R A E S I D I B V S
ET
C O N S I L I A R I I S
EXCELLENTISSIMIS, PERILLVSTRI BV S, SVMME
REVERENDIS, GENEROSISSIMIS, ETC.
D O M I N I S A C P A T R O N I S
INDVLGENTISSIMIS

HOC DEMISSAE PIETATIS MONVMENTVM

STATVIT

SACRV M

A V C T O R

SPRENGELIUS PRINCIPIS
ET ELECTORIS SACCARUM
IN
SENATU BOGEMASTICO
PRAESIDIBVS
IN
CONSILIA ARIIS
EXCELLENTISSIMI PERILLVSTRIS SVMMI
REVERENDI GEMINISSIMI, DTC
DOMINVS AVTHORITATE
INDVLTISSIMI
MOC DEBETIS DITATE MONUMENTA
GENE
SACCARUM
AVTOR





§. I.

Quam hoc Historiæ in genus humanum beneficio habeamus, ut, quomodo hodierna rerum facies exorta, quibus incrementis aucta, et per quas denique vicissitudines, in eum, quem adhuc cernimus, locum deducta sit, scire possimus: facile inde patet, rerum gestarum memoriam non tam propter nativam pulchritudinem, miramue delectationem per se, uti virtutem Stoicorum esse amplectendam, imo vero ob insignem utilitatem, fructumque singularem, quem rerum grauisissimarum, et mutationum causas rimantes, et quicquid vltibus inseruit nostris, inde colligentes percipimus ^a). Quandoquidem autem

Praefatio.

Videndum in Historia quid temporibus apprime conveniat.

^a) Inuat ex multis POLYBIUM laudare, Hist. l. III. c. 31. p. 294. Ed. Eyn. Διοπερ ἔχ' ἕτως ἐστὶ φρονίσιον τῆς αὐτῶν τῶν πράξεων ἐξηγήσεως, ἕτε τοῖς γραφῆσιν, ἕτε τοῖς ἀναγινωσκῆσι τὰς ἱστορίας, ὡς τῶν προτέρων, καὶ τῶν αἰμῶ, καὶ τῶν ἐπιγινωσκόμενων τοῖς ἐργοῖς. ἱστορίας γὰρ ἕαν ἀφελγῆτις τὸ δια τε, καὶ πῶς, καὶ τίνος χάριν ἐπραχθῆ, καὶ τὸ πραχθῆν ποτερὰ εὐλογον ἔχει τὸ τέλος . . . παραυτικά μὲν τέρπει, πρὸς δὲ τὸ μέλλον ἕδεν ὄφελει τὸ παραπαν. Cui subscribit TACITVS Hist. l. I. c. 4.

A

tem cum vniuersae Europae, tum reipublicae Germanicae, cuius monumentis impensius insudare debemus, quam nunc induit, forma paulo altioris est indaginis: operae videbatur pretium, hanc inire viam, quam iam permulti Viri Doctissimi immortalis cum laude tenuerunt, vt rei cuiusdam origines, quae quidem ingenti animorum consensu creditur, cuius tamen vera vulgo ignoratur ratio, pandere, et inobseruata haecenus causarum ministeria enodare conareretur. Quibus enim in historia addiscenda nulla alia obuersatur ratio, quam vt obiectorum varietate ingenium deliniant, et, vt Horatius ait, pectus inaniter angant, irritent, mulceant, hos tragoedorum potius tabernis adesse iubemus, quam manum historiae iniicere. Neque vero hoc pacto vana eorum probamus studia, qui saepenumero posthabita veritate, subtilius arguantur, vbi in rerum gestarum tramite ne vestigium impressum deprehenderis, remque in cerebello ipforum natam nobis pro diuinitus tradita venditare non erubescunt, cruda adhuc studia in publicum propellentes. Sed iam ratio reddenda est, quamobrem hoc elogio inscriptum libellum voluerimus, idque eo magis, quod nouum fere et inauditum quid promittere videbimur multis de vtilitate Expeditionum, quas vocant, cruciatarum, verba facturi. Quantumuis autem in tanta de horum bellorum initiis, natura, atque euentis scriptorum ^{b)} copia vix monitum quid de salutari eorum vi reperiatur ^{c)}; neutiquam tamen desperamus, multa ex ipsa vultate

*Argumenti
selectus.*

b) Horum Catalogum praeter FABRICI in Luce Salut. Evang. c. 30. et EYDERI Bibliothecam Tom. I. p. 181. curatissime, vna cum pereleganti de expedd. cruce. narratione exhibet in Animaduers. ad GROTII Christum Patient. p. 667. seqq. Vir Magnif. et

Illustr. DAN WILH. TRILLERVS, Academiae nostrae ornamentum in insigne.

c) Satis verbosi quidem sunt in colaudandis his expedd. scriptores Sed Romanae addicti tam veteres, quam noui, quos inter ipsum deprehenditum

tustate, idoneisque aequalium scriptorum monumentis erui posse sententiam hanc confirmatura. Id enim frequenter fieri assolet, vt res nobis damnosa videatur parum reputantibus, haec nisi interuenerit, longe peiora prouentura fuisse. Deinde haud difficulter obseruari potest, negotium in se prauum, multis saepe praeclare factis, in quo Dei cernitur sapientia, dedisse occasionem, ita quidem, vt foedum inceptu, non semper foedum exitu dici queat^d). Quod hucusque autem tam omnino nulla fere facta sit huius loci apud nostrates mentio, inde quidem cum maxime profectum auguror, ne excusatiores viderentur improbi Romani Pontif. ausus. At enimvero his, quae plerumque praeter spem, opinionemque acciderunt, nequaquam turpissimas illas molitiones posse dilui, facile prudens quisque intelligit.

§. 2.

A 2

scitum MVRATORIUM in Praef. ad Bernard. Thesaurarium scrip. Ital: Tom. VII. p. 659. sed longe alias ob causas, quibus recensendis hic superfedemus. Vnus inter antiquiores, MARINVS SANVTO, Nobilis Venetus, Sec. XIV. Scriptor, qui librum Secretorum Fidelium Crucis Pontifici Ioanni XXII. detulit, ex Bibliotheca DIONYS. PETAVII BONGARSIAE Collectioni insertum, cuius alterum constituit Tomum, auctor, si superstitionem excipias, non contemnendus, suorumque temporum peritissimus, mihi passim adiumento fuit.

d) Ex haecenus disputatis facile accusationibus eorum obuiam iri potest, qui nos causae iniustae ac periculosae

patrocinari arbitrantur. Tantum enim abest, vt vel Romanorum Episcoporum ambitioni, vel Principum eorum temporum superstitioni, vel denique crudelitati, aut auaritia ipsorum peregrinantium adulemur, quae omnia contra ius Naturae et Gentium acta esse peculiari, eaque doctissima Differentatione probatum iuit FRANC. GVIL. BVDDVS, in Selectis Iuris Nat. et Gent. vt potius nefaria haec bella, si cum religione conferas, cum laudato auctore existimemus. Hoc nobis tantummodo dari quaesumus, violentos hosce motus conspicuas in vniuerso Occidente produxisse mutationes, e quibus deinde longe alius prodiiit rerum status, ac antea fuerit.

*Summorum
Virorum
auctoritas.*

Inuenti sunt certe nonnulli, qui relictis illis opinionibus, animum ad hanc obseruationem libere inducerent, Viri cordatissimi, summiq; acuminis. Inter quos primum nominare debeo Illustr. ac summe Ven. IO. ANDR. CRAMERVM (*), Academiae Kiloniensis nunc Vice-Cancellarium, Virum de Republ. litteraria excellenter meritum, quo me priorem, qui rem diserte profiteretur inuenisse memini neminem. Neque minus diligenter hunc locum tractare coepit GUILIELM. ROBERTSON (†), publicus in litter. Vniuers. Edimburgensi Doctor, et Historiographus Scotiae: Scriptor prudens, sagax, et propemodum plus quam Historicum decet, ornatus, qui multa antehac impraeuisa, certe per scriptores dispersa solerter collegit, atque ingenio expoliuit, quibusdam etiam probabiliter dictis robur addere visus non spernendum. Quanto mihi autem praesidio Excellentissimi Viri, huiusque Exercitationis Arbitri, IO. MATTHIAE SCHROECKHII (§), Praeceptoris Optimi, fuerit cum eruditio incomparabilis, tum liberalitas impensissima et effari non possum, et si possem, prohiberet modestia. Hu-

e) In Continuatione BOSSVETI Introduct. in Hist. Orbis, et Religionis. P. III. p. 708. in Quaestione doctissima: *Von dem Einflusse der Creuzzüge in die Veränderungen der Staaten.*

f) In Vita Caroli V. Caes. P. I. p. 29. seqq. Brunovici Theotifce facta.

g) His itaque Viris a me excitatis patet, me neutiquam noui admodum studiosum de hac materia primum cogitasse. Sunt et alia praeterea aliorum scripta, in quibus haec res velut in transitu notatur. Praesertim vero huc facit adhuc IVST. HENNING. BOEHMERI

Diss. de Iuriis varia innoatione per Expeditionem Crucesignatorum, Halaebae habita 1740. Neque praetereundum est hoc loco, Societatem Regiam Hafniensem quaestioni huic perspicue ac neruose ex medii aevi monumentis, ac re ipsa exentiendae, quam mutationem commerciis, scientiae bellicae, artibus, institutis, moribus Europae, septentrionalis porissimum, attulerint expedit. cruce. praemium quidem ao. 1769. proposuisse, conuentu autem 1770. habito, neminem inuentum esse, qui eo praemio dignus duceretur.

Huius enim auspiciis, atque auctoritate factum est, ut hoc potissimum argumentum mihi excutiendum sumerem, quare si qua est speciminis commendatio, ad illum obseruanter defero. Haec itaque quali praefatus iam rei ipsi vicinior factus sum. Prius autem, quam hanc ordiamur, non, equidem credo, alienum esse praemittere, qua ratione, quoue ordine simus vsuri. Succinctam igitur primo loco ponemus eorum temporum, de quibus agetur, descriptionem, praesertim in iis regionibus, quae maxime motibus illis fuerunt obnoxiae. Deinde haud grauatim ex superioribus subduci poterit, quid sensim inde natum sit, quod reipublicae commodum foret. Postremo autem collatis inter se bonis, malisque disquiremus, pestiferae magis an salutiferae Europae dici mereantur haec expeditiones?

*Scribendi
ordo.*

§. III.

Grauter sane affectae erant fere omnes Occidentis prouinciae, cum ingrueret annus MXCVI. qui primus Europam hoc furore correptam vidit^{b)}. Imperio Germ. praeeerat Henricus IV. Rex calamitatibus quam regno nobilior, cui nihil plus nocuit, quam nimia tutorum indulgentiaⁱ⁾

*Quis fuerit
status in
Germania.*

A 3

et

h) OTTO FRISINGENS, sub finem l. VI. c. 36. "Tot mala, tot Schismata, tot tam animarum, quam corporum pericula huius tempestatis turbo inuoluit, ut solus ex persecutionis immanitate, ac temporis diuturnitate, ad humanae miseriae infelicitatem sufficeret comprobanda. cui addatur initium Gestorum Francorum Expugn. Hierosolym. Anno 1095. Regnante in

Alemannia Ainrico Imperatore, in Francia Philippo Rege, in Graecia Alexio, in Anglia Willermo minore, cum in vniuersis Europae partibus mala multimoda inolecerent, praeeerat urbi Romae Papa Urbanus II. etc. et GRAMERVS T. III. p. 709.

i) Ex matris sinu enim ad se raperant admodum puerum Hanno Coloniensis, et Adelbertus Bremensis Episcopus

et in illa incidisse tempora, quibus et impotentia Episcoporum Romanorum, et superstitio tererrima ad summum esset fastigium prouecta. Hic quantumvis a plerisque suae et sequeioris aetatis scriptoribus fuerit infamatus ^{k)}, quippe penes Monachos sedis Romanae satellites erat Historiae custodia; nactus tamen est quosdam, qui ex aduerso eum diuinis laudibus cumulare non dubitent ^{l)}. Quorum quidem neutros modum tenuisse arbitramur. Experta certe videtur in hoc Principe, quid praestare posset Pontificum arrogantia, multum in hoc negotio adiuta Procerum in Germania seditionibus maiora anhelantium ^{m)}, pellectis etiam in coniuratorum societatem ipsis filiis, quorum tandem circumuentus insidiis miser Leodii vitam finit pater ⁿ⁾. Quibus dum turbis componendis, ac nomini regio tuendo sategit infelix Princeps, alienata est ab Imperio Hungaria ^{o)}, fidem denegauit Polonia ^{p)}, cristas erexit Italia ^{q)}. Quod iam

scopus. vid. LAMBERTVS SCHAFFN. ad Eccl. l. X. p. 762. *Henricus IV. in mi-
sera senectute, ab omnibus amicis des-
titutus, obiit.*
De Adelberto autem, homine corruptissimo, sic testatur BRUNO in Hist. Belli Saxonici, p. 175. *Hic
ubi Regem infrenem, vel per abrupta
vitiatorum ruere vidit, eius se lateri ad-
iungere quaesuit.*

^{k)} vid. STRUVIUS in Corpore Hist. Germanicae, T. I. p. 305. et HAHNIUS Hist. Imp. G. T. III. c. 2. p. 41. et 42.

^{l)} Moderatus de eo iudicat DODECHINIUS ad an. 1106. Sed effusissime in eius laudes excurrit Auctor *Vitae Henrici* ap. Urstifium Scrip. Germann. Tom. I. p. 380. et Auctor *Carminis de Bello Saxonico*, qui eum l. I. p. 202. Regem appellat — nulli pietate secundum.

^{m)} CRAMERVS Tom. III. p. 672.

ⁿ⁾ ORDERICVS VITALIS Historiae

Eccl. l. X. p. 762. *Henricus IV. in mi-
sera senectute, ab omnibus amicis des-
titutus, obiit.*

^{o)} SIGEBERTVS GEMBLAC. ad a. 1075. *Hungari contra Imperatorem rebellant.* et CONRING. de Finibus Imperii l. I. c. 17. p. 187. Quamquam sunt qui negent Hungariam vnquam clientelari vinculo obstrictam fuisse, vt nuper V. Cl. BENZVRIVS probare allaborauit.

^{p)} LAMBERTVS SCHAFFNAB. ap. Pistorium Tom. I. p. 246. ad a. 1077. *Dux Polonorum iam per multos annos Teutonicis tributarius repente in Superbiam elatus, quod Principes Teutonici essent domesticis seditionibus occupari, regiam dignitatem sibi usurpauit.* adde CONRINGIVM p. 215.

^{q)} CAROL. SIGONIVS de Regno Italiae, l. IX. p. 208. *Turbulentus ac se-*
ditio-

iam dudum summis contentionibus moliti erant potentiores Germaniae duces, nunc consecuti videbantur, ut regnarent ipsi, parerent nemini. Quae beneficio regio administrabantur haecenus Prouinciae, Ducatus, Comitatus, nunc hereditarii esse coeperunt^r). Nobilitas inferior^s), dum in his adipiscendis operam collocat suis Patronis, eadem sibi priuilegia ab iis exposcit. Episcoporum ac Monasteriorum opes in immensum creuerunt^t). Plebis autem conditio eo miserior facta, sequebatur enim tanquam vilis accessio, vel dominatum nobilium, vel fundos^u) Clericorum. Reditus Impp. vehementer erant accisi^x), conticescebant inter belli fridorem leges, causarum cognitio nulla erat, literae extinctae, commercia interclusa, omnis in ferro salus. Haec erat Germaniae afflictæ facies pene conclamata

diziosus Henrici tertii dominatus, ut ab Inirio Italis magna incommoda importauit, sic ad extremam maturam illis parandae libertatis occasionem aperuit.

r) HAHNIUS l. c. p. 106.

s) GRAMERVS l. c. p. 685. et GVDNLING. ad Schilteri Inst. Iuris Feudalis, vbi de Hominibus ligiis.

t) Quod quantopere reipublicae perniciosum esset, inde colligi potest, quod omnia bona ecclesiis collata immunita essent ab oneribus publicis. Quanta vero ea tempestate ceperit homines lubido possessiones suas Ecclesiis mancipandi, qui cognoscere velit, adeat vel *Antiquitates Fuldenses* apud RISTORIUM, Rerum Germanicarum T. III. vel IOACH. VADIANI de Collegiis et Monasteriis Germaniae librum, apud GOLDASTVM Scriptt. Rer. Alemannicarum Tom. III. vbi Dona-

tionum ac Traditionum integrae exhibentur tabulae.

u) Quippe propter vrbium raritatem et infrequentiam pauci adhuc erant ciues liberi. Rusticorum autem genus plerumque seruitiis continebatur.

x) Antiquitus enim in Prouinciis erant Missi Regii, qui auctoritatem Principis illic tuerentur; sed horum iam cum contentu Impp. et inualecente Principum potentia exoleuerat auctoritas. Villae Regiae vel se ab obsequio redemerant, vel a vicinis erant occupatae. LEHMANNI Chronicon Spirense L. II. c. 10. Propterea vehementer irascebantur Henrico V. Principes, quod eos ad tributa pendenda reuocare vellet, ita enim OTTO FRISING l. VII. c. 16. de eo: *Omnibus bene compositis totum regnum vestigale facere volens ingens sibi optimatum odium contraxit.*

*Status Fran-
cogalliae.*

ta^y), ita quidem, ut nulla noua afflictio locum in ea habere posse videretur; sed quicquid accideret, quod paulo aliam induceret formam, esset in lucro ponendum. Reliqua Europae regna, etsi nequaquam sibi placere debebant, alio quanto maiori tamen fruebantur quiete. Regebat Galliam adhuc ab anno 1060. Philippus I.^z) ab Hugone Capeto tertius, qui ob socordiam et luxuriantes mores, in tanto praesertim fortissimorum virorum prouentu suis erat despicatui. Et licet in hoc capite paulo melioris foret conditionis Francia, quod hereditario iure regnum possideretur^a); factum est tamen expirante familia Caroli M., ut largitionibus, priuilegiisque Hugonis Capeti, Proceres Regni caput valde attollerent, Regique non nisi precariam iurisdictionem relinquerent. Huc accedit, tantam semper fuisse in Gallia Nobilium copiam, quanta non facile alibi inueniretur^b). Insuper adhuc Gallia longe angustioribus finibus coërcebatur, ac nunc res sunt^c), Normannorum et mox Anglorum bellis continuis grauiter vexata. Parum adhuc nauigatione, commercioque potens, neque artibus exulta, atque eo magis superstitioni dedita, tanquam

^y) *Chronicon Hirsaugiense* TRITHEMII ad. a. 1117. Ed. Francof. ad a. 1601. *Multa tum mala perpetrata sunt in Gallia et Germania, coniurationes, incendia, homicidia — — Ciues consurgunt contra ciues, vrbes, castella destruant, bona diripiunt etc.*

^z) *Chronicon* ex bibliotheca Thuanæ apud DE CHESNE Tom. III. p. 361. et B. DANIEL Tom. II. p. 394. et DILFERT. SCHOEPFLINI de Expedd. Regum Galliae in Orientem. Argent. 1724.

^a) LIMNAEVS in notitia Regni Franciae, Tom. I. p. 333.

^b) *Idem*, Tom. II. p. 262.
^c) Praeterquam enim, quod multae Prouinciae partim ad Germanos, partim ad Anglos pertinerent, eminebant potentissimi Comites, quales erant Andegauensis, Tholosanus, Blesensis, Carnotensis, aliisque, vnde discordiae civiles saepenumero in Gallia agitatae fuerant, vti CONRADVS VRSBERG. prodit ad a. 1096. *Francigenis Occidentalibus facile persuaderi poterat sua rura relinquere, nam Gallias ante annos aliquot nunc seditio ciuilis, nunc fames, nunc mortalitas nimis afflixerat.*

quam natio credula, ac leuis ^d). Hispania, quantum *in Hispania*, Christianis habitabatur, a Sancti Maioris obitu in quatuor praecipua regna pro numero filiorum eius erat diuisa ^e), nimirum Arragonicum, Legionense, Nauarrense, et, quod omnium florentissimum erat, Castilianum. Quorum postremi Reges Imperatorum nomen sibi sumere ausi fuerant, quo tamen acriter castigati ab Henrico II. Germanorum Rege, deinceps abstinebant ^f). Horum vero Regum ambitione et diffidiis factum est, ut Saraceni se feliciter tam diu in tanto Hispaniae tractu possent defendere. Circa haec fere *in Lusitania*, tempora nouum surgebat ad vltima maris Hesperii littora Portugalliae regnum conditore Henrico Lotharingico ^g), cui filiam Tarasiam Alphonso Castellae Regis ducenti in dotem concessam erat, quicquid vi armorum a Saracenis recuperaret, atque eius filius Alphonso I. inuitis Castellae regibus, regium sibi nomen adscripserat ^h). In Anglia autem progenies Ducum Normannorum, auspice Wilhelmo Conquaestore ⁱ), post proelium apud Hastings nouum *in Anglia*, ordiebatur regnum, tum moderante filio eius Wilhelmo I. ^k) vulgo Rufe dicto, magna quidem cum auctoritate, sed non sine crudelitatis infamia ^l). Italiae iam hac tempe- *in Italia*,
state

d) Liqueat enim, nullam gentem alacrius Gallis expeditionem crucifignatam suscepisse.

e) IO. MARIANA de rebus Hispaniae l. IX. c. 1. p. 355.

f) Idem l. c. 5. p. 364.

g) Idem l. X. c. 1. et 2. p. 404.

h) Idem i. c. p. 403. et c. 13. p. 431.

i) MATTHAEVS PARIS in Historia maiori, ad. annum 1066. p. 4. Edit. Tigurina.

k) Idem ad a. 1087. p. 13. et Historia Cathol. Guthriana a PRAESIDE Cl. recognita, Tom. XIII. Sect. 1. p. 182. sqq.

l) MATTH. PARIS ad a. 1100. p. 52. Eo autem vel maxime indigenarum odium sibi conlauisse arbitror, quod omnes fere dignitates Normannis decernerentur, Rex etiam in exigendis vectigalibus, quae quondam Danis pendebantur, (vnde nomen Danigeld) iatis grauis esset etiam Clericis,

state triplex habenda est ratio. In superiore enim eius parte, quae vulgo Lombardia dicitur, nemo viribus aequiparabat Mathildin, famosissimam illam Etruriae dominam^{m)}. Reliquae autem ciuitates Longobardicae in his turbis primum iugum Germanorum excutere tentauerunt, et ad communem libertatem afferendam foedera inierunt. Erant autem tum mores Itatorum maxime frugales, nullus luxus, nulla mollities, ingens libertatis spiritus, et acerrima bellorum exercitatio, adeo quidem, vt fere omnes ciuitates Italiae tunc Lacedaemona, Thebasque sapere viderentur.

Pontifices. Exspirauerat ante paucos annos Gregorius VII. vir calliditate, arte simulandi, constantia et auctorum magnitudine nemine secundus, qui primus tremenda illa iura inuasit, quam postea aliquandiu penes sedem Romanam esse coeperunt. Post infelices Victoris III. et Guiberti altercationes successerat iam Vrbanus II.ⁿ⁾, natus fere eam in gratiam, vt esset, qui telam a Gregorio inchoatam posset pertexere.

Normannis. Acciderat ante aliquod tempus in inferiori Italiae parte, quod omnem superaret fidem, nisi conspirantes haberemus scriptores^{o)}. Robertus Guiscardus, Tancredi Comitis de Alta, villa in Normannia, filius, propter fratrum multitudinem ad nouas sedes quaerendas domo profugus in Italiam cum paucis equitibus defertur, et quum per aliquod tempus sub Duce Beneuentano stipendia meruisset, repente nouo regno condendo animum adiecit, atque intra duodecim annos,

^{m)} DONNIZO in Vita Mathildis, apud MURATORIUM Scrippt. Itt. T. VI. SIGONIVS de Regno Italiae l. IX. et DENINA Muratorii Epitomator, *Staats-Veränderungen von Italien*, Tom. II. p. 110. seqq.

ⁿ⁾ CONRADVS VRSBERG. in Chronic. p. 239. et *Magnum Chronicon Belgi-*

cum, apud Pistorium T. III. ad a. 1088. p. 128.

^{o)} Anonymi Historia Sicula ex Biblioth. Vatic. apud Murator. T. VIII. p. 740. DENINA l. c. p. et PANDULPHVS COLLENTIVS in *Histor. Neapolitana*, l. III. p. 80. seqq.

annos, non solum Calabriam, Apuliamque Graecis extorsit, sed etiam cum fratre Rogerio vniuersam perdomuit Siciliam. Quid in reliquis Europae regionibus haec aetate *in Oriente.* gestum sit, referre vix opus videtur, quia et longum foret, et parum habiturum utilitatis. At, quae rerum in Oriente fuerit conditio, paucis adhuc dicendum. Incuria scilicet *Graeci.* profligatisque Graecorum moribus eo ventum erat, vt post Diogenis Romani fata, quicquid in Asia iis paruerat, perderent^p), extremis iam ceruicibus eorum imminentibus. Inter has calamitates summa delata erat ad Alexium Comnenum, virum, nisi res fuerit iam deposita, pristinam imperio gloriam restauraturum^q). Hic quam cupide initio Principum occidentalium implorauerat suppetias, tam inique postea successibus eorum inuidit, cum inconditam aduenarum multitudinem ne a vastandis quidem prouinciis cohibere posset. Contra florentes erant Saracenorum res, et his florentiores adhuc Turcae, atque arma eorum late *Turcae ac Saraceni.* victricia.

B 2

p) de quibus cfr. GUILIELMVS TYRENS. Archiep. Belli Sacri l. I. c. 9. cuius haec sunt de armis Saracenorum verba: Sic igitur Coelesyriam, Cili-
ciam, Isauriam, Pisidiam, Pamphili-
am, Lyciam, Cappadociam, Gal-
ariam, Pontum, Bithyniam, et Asiae
minoris partem nobiles Prouincias re-
ceperunt. Quod si copiam habuissent
navium, ipsam sibi ciuitatem regiam
sine dubio subiecissent. Quas omnes
prouincias olim ad Imperium perti-
nuisse cognosci potest ex CONSTANTINI
PORPHYROGENNETAE Libro de The-
matibus, l. c. regionibus imperii
Orientis, apud ANSELM. BANDVRIVM
in Antiqq. Constantinop. Tom. I.
et ALEXIAD. l. III. p. 91.

q) Quamquam enim fere omnes
Scriptores Latini satis inclementer de
eo iudicent, ne ipsi tamen prudentiam
fortitudinemque ei abiudicare au-
dent. Vnde statim patet male ani-
matus de eo scripsisse, quod cruce-
signatorum iniurias non aequo ani-
mo tulerit. Quam causam ipsa sic
eius exponit filia Anna: Ηαηκοι α-
πειρων Φορτυγγικων στρατευματων επε-
λευσιν εδεδει μεν εν την τυτων εφο-
δον γνωριστας αυτων το ακαταραχτον
της ορηνης, το της γνωμης ασατον, και
ευαγαθον κ. τ. λ. ALEXIADOS l. X. in
Scrippta. Byz. T. XIV. p. 283. Edit.
Paris. In hoc de Alexio iudicio no-
bis praesto est quoque DAVID HOESCHE-
LIVS, in testimoniis sub Calcem Ale-
xiados de hoc Imp. adiectis.

victoria. Quanquam ne hi quidem intestinis turbis carent, atque euilsciente magno Caliphatu Babylonico satraparum quisque peculiare ad se regnum ^r) traxerit. Haec autem quorsum hactenus copiosius persequimur? vt appareat, non ad modum laetabilem fuisse eorum temporum conditionem, neque correctionem eorum cuiquam poenitentiam, quae quomodo subinde effecta sit demonstrandi iam volutamus consilium.

§. IV.

Causae Expeditionis Crucesignatorum. Hunc fere in modum orbis administrabatur, cum Vrbanus II. P. P. facti insolentia omnium animos arrigeret ^r), et concilio Claromonte in Aruernis celebrato ^s) a. 1095. conuelleret sedibus antiquis gentes Orientem Occidentemque miscens ^u). Inter causas vero tam repentini furoris, qui ex hoc anno Europam peruagatus est pro diuersis videlicet hominum generibus, ac studiis diuersas numerandas esse censeo ^x). Quanquam enim post ademtam Saracenis a Turcis Palaestynam

^r) I. I. REISKE in *Prodidagmatibus ad Hagii Chalifae tabular.* et *Abulfedae Annales Moslemici.*

^s) ANNA COMN. l. c. Πασα γαρ η Εσπασα και οπισσον γενος βαρβαρων την περαθεν Αδειου μεχρως Ηρακλειων σηλων κατακει γην απας αθροον μετανασευσαν επι την Ασιαν δια της εξης Ευραπης εβιασε πανομι της πορειας ποιμενον.

^t) HARDVIVVS *Collect. Concill.* Tom. VII. p. 1743 sq.

^u) ALB. STADENSIS apud Schilterum *Scrippt.* Germ. p. 150. Tunc igitur vniuersarum potestates regionum Duces, Episcopi, Abbates, Praefecti militares,

ac plebei viri, Monachi, mulieres cum pueris aggressi sunt iter Hierosolyma. Omnes enim, qui Vrbanii orationibus intererant, vno ore vociferabantur: *Deus vult, Deus vult!* Nullum vinculum erat, quod hoc impetu non dirimeretur, ita enim GVIL. TYR. l. I. c. 16. Diuidebatur maritus ab uxore, exor a marito, pater a filijs, filius a parentibus, cet. ORDERICVS Vitalis *Historia Eccl.* l. IX. p. 720. et ROBERTVS MONACHVS *Hist. Hierosol.* l. I.

^x) GVIL. TYR. l. c. Omnes ex causis variis properabant, neque erat apud omnes in causa Dominus, et virtutum mater discretio.

Palaeſtinam indigna Chriſtianorum vexatio, atque exactio-
nes inhumanae, princeps eſſe cauſa videantur, vt, teſtante
MOSHEMIO, iam Gregorius VII. exercitum ipſa dux futurus
eam in gratiam parauerit, ſuperuenerunt tamen et alia in
hoc negotio, quorum magnum deinceps erat pondus. Lite-
ras ab Alexio ad ſe datas interſerebat Vrbanus, quae occi-
dendis flagitarent auxilium ^y). Subibat eum fortassis cogita-
tio, hoc vnum adhuc deeſſe nomini Romano, vt Aſia
maieſtatem eius comiter reuereretur ^z), poſtquam Gre-
gorii impudentia in Europa triumphorum materiam iam
conſumerat. Et, quum imprudentes Principes in has
Expedd. ruere viderent PP. diligenter his praefidiis vteban-
tur ad ſtabiliendam ſuam auctoritatem. Egregie his ſucela-
mabar machinationibus Petrus iſte nobilis impoſtor, atque
opera Pontificis ^a). Accedebat, quod PP. ipſi horum
bellorum quaeftores eſſent, vnde incredibile potentia eo-
rum accepit incrementum ^b). Principes ipſi, qui iter *Principum.*
B 3 capeſſerent,

^y) ALBERTVS STADENS I. c. *Vrbanus* Papa excitatus frequenribus nun-
tiis Eccleſiae Orientalis ſuper inaudi-
tis calamitatibus conuerſis, episto-
lis quoque Alexii Imp. Conſtantinop.
deplorantis ſe non ſufficere ad defen-
ſionem eius, Generale Concilium in
conſinio Hiſpaniae congregari fecit.
Eandem reddit rationem MABILLON-
IVS in Vita Vr bani II. in Opp. Poſt-
humis per Ruinhartum, Tom. II. p.
229. quanquam de literis taceant Scri-
ptores Byzantini.

^z) Mihi hoc perſuadent, quae de
Eugenio PP. OTTO FRISING. habet de
Geſtis Friderici I. l. I. c. 34. p. 214.
ex Edit. Pithoei: *Qui antecellorum*
ſuorum exempla reuoluens, ſcilicet
quod *Vrbanus* huiusmodi occasione
transmarinam Eccleſiam, et duas Pa-
triarchales ſedes Antiochiam, atque
Hierofolymam ab obedientia Romanae
ſedis ſciſſas in vnitatem pacis recepe-
runt, omnes commouit. *et.*
^a) Ita iam illis temporibus de tur-
bulento hoc homine iudicatum eſſe
euincit CONR. VRSPERG. ad hunc an-
num, *Petrum*, inquit, *monachum*
ſequebantur, quem tamen multi poſtea
hypocritam fuiſſe dixerunt.
^b) MATTHAEVVS PARIS p. 347. Non
adhuc ceſſauit auaritia Romanorum
inſatiabilis, quia remaſerunt in An-
glia duo Papales Clerici, exactores
indueſti, qui Authenticum Papale re-
tinentes, procuraciones exigendi, in-
terdi-

capefferent, militiae innutriti, bellum spirabant, ac vanitati capti regna, ducatusque in Oriente spe praesumentes ^c), bona sua diuendebant. Plerosque ex vulgo autem ingentia inuitabant priuilegia profecturis concessa, scilicet Indulgentiarum copia, militiae Deo gratiae professio, Sacrosancta militum dignitas, vsurarum intermissio, stipendiorum amplitudo, praedae opimae ostendatio ^d). Alios impellebat curiositas ^e) regiones longe distitas inuisendi, alios rei familiaris angustia, plerosque superstitio ^f). Hic autem

terdicendi, excommunicandi, et talibus rapinis Ecclesia Romana secundum assertionem eorum, quae damnificabatur, multiformiter respiraret.

c) ANNA COMNENA l. c. p. 285. Praesertim cum intelligerent Principes, florere Regnum Hierosolymis, Ducatum Antiochiae, Comitatum Edessae, et id genus alia, quae ad oculos perstringendos valebant.

d) Quae omnia ex idoneis auctoribus studiose enumerat DU FRESNE in Glossar. sub voce: Priuilegium Crucis. Amplissimi autem stipendii nomina cruci daturis erogati exemplum praebet Constitutio Henrici VI. Caesaris, apud Goldastum, Tom. I. p. 71. in qua singulis militibus triginta viciae auri, et annonae quantum sufficeret, designantur.

e) Nonnulli autem ex his, quos animi vanitas et inconstantiae leuitas impellebat non tam loca sancta deuotionis causa visitaturi peregre proficiscebantur, quam curiositatis, et nouitatis, ad partes incognitas transmigrabant, ut mira, et inexpertis stupenda, quae de partibus Orientis audiverant non sine magno labore probarent. IAC. DE VITRIACO Hist. Orient. l. I. c. 8.

f) Praeter memoratas has rapidorum crucis progressuum causas verisimile mihi quidem videtur duas adhuc posse subnecti, vnam, constantem ac peruulgatam de imminente Saracenorum excidio ex vaticiniis Ioanneis opinionem. In quam sententiam iam adductus videtur ALBERT, STADENSIS, sic scribens: *Protulit Petrus Epistolam quondam, quam de coelo affirmavit allatam, in qua continebatur scriptum: Quia impleta sunt tempora nationum, &c.* Affirmat idem Robertson, atque ante eum MOSHEMVS Insitt. Hist. Eccl. p. 373. §. III. nota i. Quae persuasio quantum mentes superstitiosorum hominum percellere potuerit, facile animaduertitur. Huc altera accedebat causa, quae, quod quidem iudico, primae praecipue expeditionis augendae admodum fauebat, annonae nimirum caritas. Omnia enim fere Chronica ad annum hunc referunt immanem locustarum exercitum Prouinciis incubuisse, vnde ad spes agrorum elusas securi colligimus. Testatur etiam conceptis verbis GVBERTVS ABBAS apud Bongars. Tom. I. p. 481. *Erat ea tempestate pro generali defectioe frugum etiam apud diiores magna penuria.*

obseruatione dignum videtur, post primum demum expeditionem confectam se huic negotio Germanos accinxisse ^g).

§. V.

Grauius plurimum conueniunt scriptores huius temporis de exhaustis incolis prouinciis, agris incultis ac desolatis, miraue hominum paucitate ^h), atque hinc toto colligi posse arbitrantur, maximo detrimento Europam crucesignatas expedit. affecisse. Quam quidem rem ipsam licet contra tot monumentorum fidem in dubium vocare non ausim, de effectu tamen mihi non perinde videtur. Erat enim Europae status parum diuersus a corpore vitiose, atque aegrotante ⁱ), cui aliter vix medicina parari potest, nisi ad viuum ressecatis partibus contagiosis, ne trahatur sincera. Vt enim iam supra probatum dedimus, seditione perenni omnia fluctuabant, ac tanta sceleratorum hominum vndique terras abundauerat multitudo, quanta sine insigni portento

Commoda inde redundantia.

*A).
Liberatio Europae a sentina reipublicae.*

^g) Illustris de ea re extat CONRADI VRSBERG. locus, p. 231. Edit. Argent. Omnis fere Teutonicus populus a principio profectiois huius causam ignorantes, per terram suam transcurrentes tot legiones peditum, tot turmas equitum, totque cateruas ruricoliarum, foeminarum ac puerorum, quasi inaudita stultitia delirantes subsannabant, qui pro certis incerta captarent, terram natalitatis vane relinquerent terram promissionis incertam certo discrimine appetent, renunciarent facultatibus propriis inhiarent alienis.

^h) Diserte in hanc sententiam DOECHINUS in Appendice ad MARIAN.

SCOTVM, non solum, inquit, rusticos, sed etiam Reges, Duces, ceterasque mundi potestates, Episcopos, Monachos, reliquosque Ecclesiae ordines ad iter motos fuisse, ut regna rectoribus, urbes pastoribus, vici desererentur habitatoribus. Quam solitudinem etiam liquido describit CONRADI NOTHONIS Chronicon Brunsvicensis ad a. 1096. apud Leibnitium Scripitt. Brunsvic. T. III. p. 227. 199. et FVLCHERIVS CARNOTENSIS in Gestis Peregr. Francorum, apud Bongars. T. I. p. 385. Quo spectat etiam locus in Epp. S. Bernhardi, Septem vxores vix vnum potuisse inuenire virum.

ⁱ) CRAMERVS l. c.

portento tolli vix posse videbatur ^k). Causa est in aperto. Affluebat Germania vti omnes fere Prouinciæ Septentrionales^l), in exhausta hominum foecunditate, adeo, vt subministrando victui solum patrium, vt tum inprimis compluribus locis incultum ac saluosum, impar esset ^m). Quare necessitas plus vna vice ingentia Germanorum examina foras protrudit ⁿ), defectu eorum breui tempore suppleto ^o). His adiunge, fuisse id genus hominum nullis artibus mitigatum, nullis opificiis aduetum, prius bellum didicisse, quam religionem, opes sanguine libentius, quam industria sibi parere promptum ^p). Quo factum est, vt otium, laborumque

k) CONRAD. VRSBERG. p. 242. mitifice cum his conspirat: Fere animus de militiae eius causa aliqua praescriptis adicere maxime ob imprudentiam quorundam reprehensionem, qui vetusto semper errore contenti nouitatem hanc iam senescenti, ac prope interuenti mundo peruecessariam reprehendere praesumunt — — Depravata iam vndique, sed maxime in istis partibus rerum vertigo, ubi sapientia prae omnibus iniusta, virtus omnis est odiosa, vitium amorem conciliat, crudelitas timorem, superbia honorem.

l) Quare etiam Septentrio vulgo vagina gentium appellari solet, et iam Tacitus in Germania, numerosam illam Germanorum sobolem, vigentemque pubertatem demiratur. vid. EC-CARDVS de origine Germanorum, c. praefatione Scheidii.

m) Aperte mecum facit ROBERTVS MONACHVS apud Bongars, T. I. p. 31. Non vos protrahit vlla possessio, quoniam terra haec, quam inhabitatis clausura maris vndique, et iugis mon-

rium circumdata numerositate vestra coangustatur, et vix sola alimenta suis cultoribus administrat. Inde est, quod vos inuicem mordetis et comeditis. cer.

n) Testantur hoc prodigiosae illae gentium migrationes, quae Saeculo V. et VI. acciderunt, cum Longobardi in Italiam, Franci in Galliam, Saxones in Britanniam, Sueui, Alanique in Hispaniam se effunderent, neque tamen ideo Germaniae vires sibi decrant.

o) Hoc neminem praeterire potest contemplentem, qui postea non longo interiecto tempore conscripti exercitus, quae bella gesta? Imaginem eiusmodi populositatis refert adhuc Heluetia, ac meridionalis Germania, quae nisi prouinciæ integros saepe exercitus exteris crederent, domiciliis prius, quam habitatoribus destituerentur.

p) Scilicet agriculturae procuratio seruis erat relicta, opifices contemnebantur, nobilesque feuda virtute militari parta, eadem virtute tueri, atque ampliare malebant.

rumque vacationem in belli occasionem verterent. Subesse maioribus, atque imperata facere iam ex aliqua temporis intercapedine prauo more, prauiori exemplo detrectauerant. Iam a duobus, et quod excurrit, saeculis libertorum copia nullis fundis possessionibusque adstricta passim errabat, cum quibus obaeratorum, et capite censorum non spernendus coalescerat in latrociniiis exercendis numerus ^q). Hinc omnia incendiis, rapinis, infestisque ciuium agminibus scatebant ^r). Quid igitur, quaeso, inde noxae reip. euenire poterat, fecibus his foras eiectis? Mihi itaque ii, quibus tantopere hae expeditiones displicent, parum accurate a se distinxisse videntur, eas protectiones, quae legitimis Imp. aut Regum auspiciis ^s) sunt gestae, ac tumultuarias illas rapti-

q) Vnde tam stupendus subito ad Petrum, Godeschalcum, Gualterium *sensaucirum*, i. e. sine pecunia, primae expeditionis Incentores factus est concursum, quod aperte perhibet IAC. DE VITRIACO Hist. Orient. l. I. c. 82. Hi vero, qui ab initio recuperationis terrae sanctae statum eius plenius agnouerunt, et varias, alternaeque illius mutationes, decrements, ac promotiones serio inspexerunt, in veritate asserunt, quod nullum genus hominum, nullaque alia pestis efficacior ad nocendum, quam flagitiosus, ac pestiferi homines, scelerati, ac impii, sacrilegi, fures, raptores, homicidae, parricidae, adulteri, proditores, cursarii, i. e. piratae, ebrui, apostatae monachi, et moniales, meretrices publicae, et quae relictis maritis lenonibus adhaeserant. Huiusmodi monstrasti ho-

mines in partibus Occidentis mare Mediterraneum transcentes coelum non animum mutabant etc. Quem ad verbum secutus est MARINVS SANVTO l. III. P. II. c. 5. cum his confer DU GAN- GIVM in Glossario, sub voce *Crucesignatus*.

r) GVIBERTVS ABBAS l. c. Erat, antequam tanta gentium fieret profectio, maximis ad inuicem hostilitatibus totius Francorum regni turbatio, viarum obsessio, nullis praeter solam et indomitam cupiditatem existentibus causis extruebantur proelia. et ANNA COMNENA l. c.

s) Quales sub Conrado tertio, Frederico I. et II. visae sunt, itemque praecedentibus Regibus Galliae, Philippo Augusto, Ludouico VIII. et IX.

C

raptitiasque perditorum hominum conglobationes^e). Quae priores sicut omnino florem exercitus continebant, ita haec posteriores maleficorum gregibus deportandis erant accommodataeⁿ). Permagna enim pars illius sexcentorum millium exercitus, qui primum iter arripuit, ex hac classe conflatus erat, quod flagitiis, ac facinoribus in ipsa via patris clarissime patet^x). Nam post manuarii iuris origines^y) subinde nobilium inferiorum societates concenturiatae inueniebantur, quae unicuique pacta mercede contra quemuis militarent, vnde conspicuum est, ex continua bellorum serie, ac tot criminibus impune admissis truculentiam, ac mores rigidissimos omnium animos infedisse^z). Vtlerius quo-

e) GVIBERTVS l. c. *Principibus itaque, qui multis et magnis obsequen-
tium ministeriis indigebant sua morose
ac dispensarint tractantibus, tenuē il-
lud quidem substantia, sed numero fre-
quentissimus vulgus Petro cuidam Ere-
mitae cohaesit.*

n) Praedones maritimi aequae, ac terrestres patefacta hac occasione in Orientem commeabant deuotionis species prae se ferentes, de his OTTO FRISING. l. I. c. 40. *Tanta ad accipiendam crucem praedonum et larvorum aequalabat multitudo, ut nullus sani capitis tam subitan mutationem arronita mente non obstupesceret.* et GVILIELM. TYR. l. III. c. 23. eadem fere de piratis Flandricis, Hollandicisque, quorum classis Tarsum applicuerat, refert.

x) Quae ne ipsi quidem scriptores huic causae patrocinantibus negare audent. Non solum enim Iudaeos ubique locorum, crudelissime obrunca-

bant, verum etiam Hungariam, Bulgariamque transcurrentes diripere tentabant, vnde tamen saepe numero male multati recesserunt. Quamobrem GVILIELMVS TYRIVS de Gualteri aq mine haec habet: *Ille sciens, quod populum secum traheret durae cervicis, et indiscretum, relictis his, qui incorrigibiles facti erant, etc.* Et GVIBERTVS ABBAS c. IX. *Petrus, cum illud in disciplinatum vulgus, ex ore mancipia, et seruitia publica nullis horramentis cohibere valeret, etc.*

y) Haec enim sunt verba IO. PHIL. DATTII in Vol. Rer. Germanicarum, de Pace Imp. Publica c. III. §. 24. *Manuarii autem iuris origines probabili coniectura ad id videtur tempus retulisse, quo sub Henricorum regimine fulmen a Papis per Germaniam emissam despectam Caesarum aperuit maiestatem.*

z) DU FRESNE in Glossar. sub voce *Faida, et Diffidario.* et FVLCHERIVS

CAR-

quoque confirmari potest poenitentiae ecclesiasticae loco receptum fuisse^{a)}, ut omnes^{b)}, qui sacrilegia, parricidia, aut tale quid designauerint, in terrae sanctae vindicationem ablegarentur, nunquam redituri. Quibus exiliis quantopere resp. consultum sit, nemo est, quin sentiat.

§. VI.

At enimvero quanquam ex his, quae superiori segmen-
to digerere allaborauimus iam liquido constet, non potuisse non securitatem publicam, priuatamque postliminio esse Europae redditam: Habemus tamen adhuc alia, quibus praeclara dissertationi nostrae lux affunditur. Non enim

C 2

B)
Pacandae
Europae legibus poenit-
nisque Ec-
clesiasticis
cautum.

CARNOTENSIS Nunc, inquit, praemia aeterna nanciscantur, qui dudum pro solidis paucis mercenarii fuerunt.

a) Ab his enim temporibus luctuosissimis Indulgentiarum vera demum incunabula repetenda sunt, quippe omnibus cruce distinctis manifesta peccatorum remissio a pontificibus promittebatur, data enim est omnibus illis emissariis, qui Pontificis nomine Provincias circumibant, facultas peccata condonandi. MATTHAENS PARIS l. c. Principibus ipsis hac poenitentia iuncta, quamobrem Reges Franciae saepissime dicuntur Crucem accepisse in aeternam animae suae salutem. et ALEXANDER III. in Ep. 133. ap. MARTENIVM in Thesauro, Anecd. T. II. p. 749. ut videlicet, inquit, qui biennio ad defensionem terrae se manserit, se laetetur adeptam hanc profectiorem Satisfactionis loco ad suorum hanc indulgentiam peccatorum. Qui

vero per annum in hoc labore permanserit, exoneratum se de Medietate Satisfactionis impostitae auctoritate Apostolica recognoscat, id quod etiam obseruat IO. MORINVS de administ. Sac. poenit. l. X. c. 19. §. 3. et BOEHEMVS in Dissert. laud.

b) Optime hoc demonstrari potest ex IAC. DE VITRACO l. c. Qui in patria sua malitius et maleficiis deprehensi prece, ac pretio obrincbant membris non mutilari, aut vita priuari, sed ad terram promissionis admitti, et ibi perpetuo condemnari exilio, hi vera poenitentia non compuncti sed violentia coacti incolae terrae sanctae facti sunt. Quis crederet Episcoporum interfectores non vltimis suppliciiis afficiendos fuisse? At de percussoribus Episcopi Wurceburgensis expressse loquitur Chronicon Hirsaugiense, fuisse poenae omnis expertes in militiam terrae sanctae deputatos.

enim solum peruersi illi reip. turbatores patria opportune excefferant, verum etiam quod nunquam antea summa Principum sollertia effici potuerat, nunc edictis Pontiff. et comminationibus ecclesiasticis auspicato effectum videbatur. Ne quid scilicet absentium bona detrimenti caperent, protectioni S. Petri sunt commendata, data Episcopis, Praesulibusque facultate in secus agentes seuere animaduertendi, proscriptionibus scilicet ac sacrorum interdictionibus^{c)}. Bella Christianorum Principum haecenus multa cum atrocitate gesta sunt composita^{d)}, nationesque sibi inimicissimae ex templo in foedera coibant^{e)}, quo expeditiores communibus aduersariis bellum facerent^{f)}. *Treugae Dei*^{g)}, licet origo

c) vid. INNOCENTII IV. Statuta de negotio S. Crucis, apud MATTH. PARIS. p. 652. *Personas, et bona post crucem assumptam sub S. Petri, et nostra protectione recipimus, statuentes et sub Episcoporum, et omnium Praelatorum defensione consistant, integra maneant, et quieta, et si quisquam contra praesumerit, censura ecclesiastica commutatur.* it. in *Canone X. Concilii Claromontani*, ap. HARDVIN. et DATTIVM cap. III. §. 25.

d) OTTO FRISINGENS. de gestis Freder. I. l. I. c. 29. *Ea tempestate ubique bellorum turbine orbem replente repente per dextram excelsi tanta facta est commutatio, ut sopitis omnibus his bellorum tempestatibus in breui totam terram quiescere cerneret.* item RIGORDVS de gestis Philippi Augusti, apud DU CHESNE Vol. V. p. 43. et Epist. VREANI IV. p. 869.

e) Vberissime hoc euincunt Tabulae foederis Richardum inter Regem An-

gliae, et Philippum Francia percussi, apud MATTH. PARIS. ad a. 1190. ubi inter alia haec reperuntur: *Statuimus etiam, et uterque nostrum alteri auxilium faciat ad terram suam defendendam, sicut alter nostrum propriam defenderet, et illibatam seruaret.* nec non GVIL. BRITO AINOR. Philippidis l. IV. v. 5.

Nec fuit inter eos anno discordia pleno

Pace ligante bona gemini commercia regni.

f) EULCHERIVS CARNOTENSIS in Oratione exhortatoria Vrbani II. *Nunc rite contra barbaros pugnent, qui olim contra fratres et consanguineos dimicabant, et MATTH. PARIS in eadem oratione: Accingimini, viri potentes, et arma, quae caede mutua in bellis cruentastis verrite in hostes fidei, caet.*

g) Harum origo memoratur a GLABRO RVDOLPHO l. V. c. I. in bellis nimirum Galliae ciuilibus, vnde CAROL.

ANNI

origo earum in superiora aliquantum tempora incidere^{b)}, hunc demum coli sunt coepae, horrendoque indignationis Pontificiae fulmine stipataeⁱ⁾. Ludi Circenses, vulgo *Torneamenta*^{k)} dicta, quae hactenus saepe concitatis animis, neque incruenta finierant^{l)}, publica auctoritate interposita, vel suspendebantur, vel vetabantur. Quibus omnibus hic denique respondebat finis, ut, qui antea bene armati sibi iniuriam defendere aegre poterant, nunc inermes securi agerent^{m)}.

§. VII.

Helleponto Asiam pariter, ac Turcorum imperium iam ^{C)} Crescentium terminanteⁿ⁾ haud frustra pertimescendum erat, ne ^{C 3} nimium Turgens eorum licen-

ANNIBAL FABROTTVS in libro de Treuga et pace, et PETRVS DE MARCA in Histor. Bearncnsi, item BARONIUS in Annalibus ad a. 1034. tunc primum earum nomen auditum esse consentiunt. Videtur vox a Germanico (*Treue*) ob fidem scilicet seruandam descendisse, vnde et alioquin *Treua*, s. *Treunia*, appellatur. Duplicem autem subiectam habet potestatem vel adstrictiorem vel laxiorem, priori dies duntaxat quatuor comprehendit, a feria scilicet quarta ad secundam vsque, vti est in Concilio Lateranensi III. c. X. ab Alexandro P. celebrato a. 1180. *Treugas a quarta feria post occasum solis vsque ad secundam feriam in ortu solis, ab Adventu Domini vsque ad octauas Epiphaniae, et a Septuagesima vsque ad octauas Paschatos obseruari praecipimus.* Et hoc sensu nihil aliud est, quam induciarum genus. Laxius autem accepta plenissimam pacem

designat, atque ita hic intelligendum est. Consulendi sunt de his DATI. l. c. et DU FRESNE sub voce *Treuga*.

h) CONR. VRSBERG. *Neque Pax Dei, neque caetera sacramentis firmata pacta custodiuntur.*

i) Quale Carmen extat ap. MATTH. PARIS p. 653. *Excommunicamus et anathematizamus, caeter.*

k) Occurrit hoc vocabulum non modo de ludicris velitationibus, sed etiam de manifestis digladiationibus, DU FRESNE sub hoc rubro.

l) Exempla luculenta habent MATTHAEVS PARIS p. 715. et *Chronicon Montis Sereni* ad a. 1115.

m) OTTO FRISING. l. c. cap. 42. *Reperire sic totus Occidens siluit, ut non solum bella mouere, sed etiam arma in publico gestare nefas haberetur.*

n) BENEDICTVS ACCOLTVS de Bello S. I. I. p. 56. Edit. Groning.

*tiae frenum
injectum.*

gens vincere consueta se in Europam effunderet °). Quo igitur prius expediret consulto, quam ab armis latius circumferendis eam ad sua tuenda reuocare? Et mihi comper- tum habeo, a longe paucioribus consilium hoc improbatum iri, nisi suaforem Episcopum et seciales monachos nactum esset. Facile enim erat intellectu inter Occidentis Prin- cipes, quo longius Saraceni proferrent fines, eo propiores se periculo fore, neque vires Graecis ad diutius arcendos hostes sufficere, neque his expugnatis victores belli sitim deposituros. Haecenus cum gente molli, effoeminata, otio, et luxu diffluente bellum sine magno negotio gessisse, non iuxta futurum, si cum nationibus bello induratis p) omni- umque iniuriarum patientibus rem habituri sint. Neque euentus spem sefellit q). Nam Turci et facti nouitate attoniti r), huiusque militiae generis imperiti, principio passim caesi, fugatique sunt, recepta est cum Asiae parte Syria, sollicitata Aegyptus, et quia classe valebant Christiani, omnis ora maritima oblecta s), ac nisi hi diuitiis Asiae, ve- terisque disciplinae obliuione capti fuissent, certum erat magnum Turcis parari infortunium. Christianos autem sua premebant fata, et factiones Optimatum cum vulgi ferocia plus

o) MATTH. PARIS, p. 21. *Tertium mundi clima Europa est, cuius quantalancunque partem inhabitamus, quam et Turci et Saraceni bellis premunt continuis.*

p) ACCOLTVS p. 27.

q) GVILIEVVS TYRIVS l. XVI. c. 29.

r) BERNARD. Thesaur. apud MVR- TOR. T. VII. p. 725. et CONR. VRSI. P. 247. non pauci lectissimorum mili- tum Babyloniam dirigunt, quorum

fortitudine, proceritate, habitu, et incessu, eleganciaque omni arroniri bar- bari, Francos plus quam homines, i. e. Deos affirmabant, parentes omnino non esse mirum, quod huiusmodi bellatores totum sibi affectarent subicere mun- dum.

s) Occupatae enim Tyrus, Sidon, Ptolemais, Berythus, aliaeque vrbes mari continguae, in quibus admiranda fuit subigendis opera Genuensium. Idem P. 736.

plus saepe ipsis nocuere, quam arma hostium. Nihilo tamen secius regnum in ipsis Palaestinae finibus ab ao. MXCIX. Godfrido Lotharingico duce excitatum, multis licet durisque casibus subinde labefactaretur[†]), in alterum tamen Seculum magno Turcorum incommodo perdurare sustinuit^{*)}. Certe tum primum illi aliena non concupiscere, suisque tuendis, aut recuperandis satis habere didicerunt. Firmissimum autem Constantinopolis, nisi mens vtrisque laeva fuisset, praesidium inuenerat^{*)}. Aeterna enim Christianos inter et Muhammedanos bella flagrabant, ac saepius hi cladibus horrendis prostrati discesserant, vt, si Graeci temporibus mature inseruire voluissent, spes foret non tralatitia, in auitas sedes Turcos tunc redigi potuisse, aut prouinciarum certe pars recipi. Vincebat autem prudentiam vecordia, maturationem tarditas, et communem vtilitatem paucorum inuidia. Quamuis vero fortuna male vterentur, negari tamen non potest, id saltem effectum esse, vt quam diu pedem in Asia figerent Christiani, nihil fere a Turcis detrimenti Graeci paterentur. Quod illi autem Occidentalibus tantopere diffident, horum erat culpa, quippe plerique Principes, qui in Orientem tra-

D)
*Protracta
 imperii Ori-
 entis ruina,*

241

†) Inprimis sub Guidone Lusignano a Saladino ad summas incitas redacto, ACCOLT. sub finem Libri IV.

*) Capta Ptolemaide ab Aegypti Soldano ao. MCCXCI. Verba SANCTI I. III. SECT. XII. c. 22. *Tunc omnis Syria amissa est, cumliquo habitatores Christiani aut morte eximti sunt, aut profugi ad Insulam Cyprum habuere refugium.*

*) Conuenerat enim Alexio cum Principibus haec foederis formula, vt

coniunctis copiis hostis inuaderent, quicquid autem praeter urbem Hierosolymam sub potestatem eorum redigeretur, Graecis cederet. Quamobrem expugnata Nicaea tradita est concessim Alexio. GVIL. TYR. I. III. c. 12. ipsam legem conceptam sic refert. *Quod si aliquam de urbibus, quae sub Imperio fuerant in profectione, capi contingeret, urbe imperatori restituta, praeda, manubiaeque exercitui cederent.*

traiiiebant, arrogantia, et fortiter factorum^{y)} conscientia elati immoderata regnandi cupiditate incendebantur, ac manifesta aliquoties prostabant indicia ipsi regiae vrbi mala multa meditatatos esse, quae et postea vi oppressa a Venetorum classe constat. Irritabant etiam Graecorum animos copiae et consilia cum ipsis parum communicata, earum terrarum cupido, quae olim ad Imperium pertinuerint, disciplina militaris inter Latinos fere nulla^{z)}. Augebat simultatem ab initio statim rerum a Normannis in Italia, Sicilia, atque Illyrico gestarum recentissima memoria^{a)}, quam obrem Muhammedanos quam Christianos vicinos habere malebant. At, quanto omnino illis propugnaculo fuerint expedd. Latinorum tum cognitum est, cum diruto regno Hierosolymitano res Graecorum indies magis confenescerent, et vrbs denique ipsa victores sequeretur. Quamobrem Constantinopolitani, quod nunc vix pensi habebant Latinorum subsidium, postea, cum Turci iam moenibus eorum insultarent, enixe petierunt. Multum quoque ea tempestate vniuersae Europae intererat, si Saraceni ocyus Byzantio potirentur. Erat enim pro temporum mediocritate vrbs arte, atque ingenio, longe munitissima, vt modica classe non difficulter defendi posset, et imperium magnae partis Asiae, atque Europae offerret se possidentibus^{b)}, neque hac expugnata

y) De fastu hoc Principum acerbè queruntur IO. CINNAMVS de Manuele Imp. I. II. Tom. XV. Scrip. Byz. et ANNA COMNENA supra laudata.

z) NICETAS CHONIATES in Annalibus sub Balduino Flandro, Scrip. Byz. Tom. XVIII. p. 385. et VILLHARVIVVS de la Prise de Constantinople par les François et Venetiens.

a) Aderat enim cum Imperio Bo-

mundus in exercitu, Roberti Guiscardii filius, qui velut hereditarium acceperat aduersus Graecos odium, adeoque Alexio erat maxime iniuius. ANNA COMNENA I. X. p. 294. 'Οι δε λοιποι κομητες, και τετραν μαλλον ο Βαιμυκτος παλαιαν μνην κατα τον αυτοκρατορα τρεποντες.

b) Refert Cl. SCHOEFFLINVS in Dif- fert.

quiequam vndanti Turcorum agmini obicem ponere posset, nullum in Bulgarijs, Pannoniisque firmamentum, adeoque iter in mediam Germaniam patentissimum. Praeterea diuitiae in ipsa ciuitate incredibiles^e), quibus valentiores facti ad postremos pergerent hostes. Quibus ego rationibus inductus, nemini, credo, curatius haec examinanti, inanis videbitur cautio, idque eo magis, cum consilii huius nec opino euentu impedirentur Saraceni, quo minus coloniis suis in Europa dispersis possent opitulari. Receptae sunt igitur maris Mediterranei insulae, repressi Mauri in Hispania^d) creptae illis pleraeque vrbes maritimae in Lusitania^e), parumque aberat, quin omni Europa exesse cogentur.

§. VIII.

Iam alia nobis se offert profectio-
 rum harum vtilitas hoc loco non
 silenda. Parum scilicet haectenus
 inter distitas gentes erat commeatum,
 vtpote plerisque populis terrae
 suae pro-
 uentibus

E)
 Orientis
 notitia Eu-
 ropae pate-
 facta,

fert. citata miraculo propiorem fuisse expugnationem eius per Venetos, fretus testimonio Villharduini, qui ipse gestis interfuit. Consuli potest etiam de munitionibus eius GVNTHERS MONACHVS in Hist. Constpolitana apud CANISIVM Lectt. Antt. Tom. IV. p. 6. Ed. Bafnag.

c) Idem GVNTHERS l. c. p. 16. de Flandris Venetisque vrbes expugnantibus, inuenerunt, inquit, ibi tantam, et tam copiose auri, argenti-
 que pecu-

niam, tantum splendorem gemmarum et vestium, et tantam preciosarum mercium exuberantiam, vt omnes repente de pauperibus ciues diuissimi redderentur.

d) MARIANA l. X.

e) HELMOLDVS in Chron. Sclauorum l. I. p. 147. Ed. Bangert. vbi de expugnata Vlißippone. Auctor incert. Histor. Hierof. ap. BONGARS. p. 1164. vbi de capta in transcurso Siluia.

D

uentibus contentis *f*), multo minus discendi ardore alias gentes, alios mores lustrantibus. Cum tanta omnium animos inceseret superstitio, mirum in modum obrepfit simul curiositas *g*). Iam velle prouincias transcurrere, peruolare maria, inuisere vrbes, demirari aliena, quorum plerique antea vitam supine, atque inertem transegerant. Habebat prae caeteris Asia, quod aciem oculorum posset nouitate sua percellere, in rudibus maxime taliumque ignaris hominibus *h*). Atque uti a paruis initiis maximi saepe proficiscuntur euentus, ita probabile est, tunc forsitan primum a diuturno otio expergefatos Germanorum aliorumque animos a stupore rerum ignotarum ad imitationem esse conuersos, etsi ad plenitudinem quandam adsequendam longe maioribus opus esset fomentis. Hoc certum est literarum, atque artium, licet etiam squalore obsitarum, quicquid in orbe reliqui factum esset, delituisse apud Graecos. Effulgebat inprimis Constantinopolis *i*) thea-

*Graecarum
artium Spe-
laculum,*

tris,

f) De victus Germanorum simplicitate vid. CONRINGIUS in Dissert. de Urbibus Germanicis, c. 78.

g) Locum ex IAC. DE VITIACO iam supra laudauimus, sed hoc euidentius GVIDERTVS ABBAS. p. 471. *Tanta, ait, auaritate exilium petiere, orbemque Latinum, notitias etiam terrarum excessere, quanta neminem alacritate videmus dies festos adire.*

h) Specimina eius curiositatis desi-

derantem ablegamus ad IACOB. DE VITRACO, MARINVM SANVTVM, et ARNOLDVM LYBECENS. qui de incolis, vrbibus, indole, prouentibusque Asiae multa recensent.

i) EVLCHER. CARNOTENS. qui ipse, cum Boamundi exercitu Constantinopolin adierat, extationem super mirifica eius vrbis pulchritudine sic prodit p. 386. *O quanta ciuitas, nobilis, et decora, quot monasteria, quotque Pala-*

tris, porticibus, foris, palatiis, templorum, aliorumque
 praecclarorum operum magnificentia. Confluxerant huc
 tanquam in Oceanum praestantissima picturae, statuariae-
 que monumenta ^k), et quo angustioribus finibus include-
 retur imperium, eo magis harum rerum abundantia creuit
 vrbs regia, seruat is scilicet his tanquam ex naufragio tabu-
 lis ^l). Habebat enim hoc prae ciuitatibus Italiae praeci-
 puum Constantinopolis, nunquam antehac esse captam,
 nunquam spoliatam ^m). Quae cunera non poterant pere-
 grinos latere, sui que paulatim facere desiderium. Ut di-
 cam, quod res est, citius ferius hae artes agresti Europae
 illatae

D 2

palatia sunt in ea opere miro fabre-
 facta, quot etiam in plateis, et vicis
 opera, ad spectandum mirabilia. Item
 GVIL. TYRENS. l. II. c. 22. Principum
 animos in donariis sibi ab Alexio mis-
 sis penitus defixos fuisse ait. *Aper-
 itaque acerariis in auro, vestibus pre-
 tiosis, vasis quoque tam materia, quam
 artificio admiratione dignis, holoseri-
 cis quoque mirae, et inauditae existi-
 mationis dona susceperunt, qualia pri-
 us non viderant, ut quae ipsis, in quos
 transffererantur, stuporem mentis in-
 ferrent nostrarum rerum modum et
 dignitatem excedentia.* et VILLHAR-
 DVINVS referent du FRESNE in No-
 tis ad IO. CINNAMVM T. XV. p. 440.
 (Est obsoleta lingua Franco-Gallica
 Sec. XIII.) *Or poez sauoir, que mult
 esgarderent Constantinople cil, qui*

*onc mais ne l'auoient ueue, que il ne
 pouient mie cuidier, que si riche nulle
 peut estre en tot le monde. — — et
 sachiez, que il n'i or si hardi, cui le
 cuer ne fremist.* Adiungi demum his
 potest LVITPRANDVS Hist. l. VI. in Le-
 gatione sua ad Nicephorum, ap. du
 CHESNE, Scrippt. Francozum T. III.

^k) GEORG. CODINVS in Excerptis de
 Antiqq. Cpolitanis, cum P. Lambecii
 Annot. SS. Byz. Tom. XVII. et Au-
 ctiores vari incerti, ap. ANSELM. BAN-
 DVK, in Imper. Orient.

^l) WINCKELMANN in Hist. Art. P. II
 p. 427. seqq.

^m) Ipsi Imp. Graeci post Constani-
 tinum Magnum Romam, Italianque
 fordide expilauerunt.

illatae tum certe primum placuere. Bonam quoque horum monumentorum partem occupata a Venetis vrbe, et sub Impp. Francis Italiae concessisse vix dubium estⁿ). Post haec enim tempora magis etiam aedificari coeptum imprimis in Italia, deterfusque paulatim numerus, ac sensus ille barbarus ita quidem, vt iam Seculo XIV. essent, qui tantae artis vel scientes haberentur magistri^o), vel amatores honesti^p). Si enim quicquam in iis artibus ad animos erigendos valet, id certo praeclara exempla possunt ante oculos collocata. Ita Romanos ante Syracusas captas, dirutamque Corinthum alienos ab his artibus tum demum repentina aemulatione incaluisse constat⁴). Copulari potest cum his aliud aequae memorabile Graeciae nimirum Arabicaeque linguae inualefcens in Occidente vsus^r). Hanc quidem iam antea Saracenorum in Europam impressio importauerat, audiebatur

*Linguarum
necessitas.*

n) Detraherunt enim Latini ornamenta quaeuis etiam ipso Heroo, i. sepulcro Impp. direpto, partem quoque statuarum aenearum in monetam conflantes, quae docemur ex NICETAE CHONIATAE narratione de Statuis Constantinianis. apud BANDVR. l. VI. p. 93-

o) Inclaruit ANTON. DEL LAPCO, cuius multa etiamnum est apud Italos gratia.

p) Quanquam huc referre non auiam, quae de operibus Friderici I. habet OTTO FRISINGENSIS l. II. de Ge-

stis eius c. 76. Potiore iure id conuenit fortasse nepoti eius Friderico II.

q) HORAT. Epp. l. II. Ep. I.

*Graecia capta ferum victorem
cepit, et artes*

Intulit agresti Latio — —

r) Delibauit iam hunc locum CL. DE GVIGNES de *Commerciis Gallorum in Oriente*, ex quo frugifera excerpta dedit Cel. GATTERER in *Historia* iam facile princeps, in *Biblioth. Histor.* Tom. IX. p. 28. Halae, 1769.

batur vero in iis modo regionibus, vbi illi confederant, nunc tamen ob crebra cum iis colloquia in Oriente alii etiam gentibus innotuisse credibile est¹⁾. De Graecorum lingua²⁾ minus fere dubitari potest cum propter arctiorem consuetudinem, commerciorumque vicissitudinem, tum ob alterna nostrorum Principum cum Graecis connubia³⁾. Quanquam autem negare non possumus putidiusculos esse hos fontes, tamen, ne omnis intercideret Graecorum literarum memoria⁴⁾, effecerunt⁵⁾. Quae autem de morum *Manfuetio.*
emendatione *res mores.*

D 3

1) Notum est bene habuisse literas tum apud Arabes, eosque permultos scriptores Graecos suos fecisse. Consultat. REISIVS, in Diatr. de Principibus Muhammedanis, qui aut ab eruditione, aut ab amore literarum instauruerunt. Lips. 1748.

2) Inno reddita esse Europae per has profectiones varia Graeciae veteris monumenta vestigium subodoratus sum in RICORDO de Gest. Phil. Aug. p. 51. In diebus illis, inquit, legebantur Parisiis libelli quidam ab Aristoteli compositi, qui Metaphysicam docebant, delati de nouo a Constantinopoli, et a Graeco in Latinum translati. Ac literas Graecas tum omnino stimulos in animis Principum reliquisse, euincunt scholae illustriores, seu, vt tum dicebantur, studia, passim in Gallia, Italia, Germaniaque Sec. XII. et XIII. instauratae.

3) Exemplum esto matrimonium

Gertrudis, Conradi III. sororis, cum Manuele Comneno. OTTO FRISINGI de Gest. Eriderici II. l. I. c. 33. et alia permulta, iam a Seculo X.

4) Auctor Gestorum Friderici II. apud VGHELLVM in Italia Sacra T. X. p. 562. Edit. Coleti, Venet. Tunc quidem ipsius felici tempore in Sicilia literari erant vel pauci vel nulli, ipse vero Imp. liberal. arzt. et omnis approbatae scientiae scholas in regno constituit, doctoribus e diuersis mundi partibus salariorum amplitudine acciriis. Et Rescriptum eiusdem Friderici ad Magistros Scholae Bonon. ap. PETRVM DE VINIS Epp. l. III. n. 68. In lucem produxit ex Collegio S. Basilii Romae, Diplomatum Graecorum collectionem a Friderico II. in Sicilia editorum BERN. MONTEFALCONIVS in Palaeographia Graeca, l. VI. p. 389. docetque, easdem esse Constitutiones, quas Latinas publicauit Francof. ER-FOLD. LINDENBROG.

emendatione harum migrationum ope introducta passim inuenimus, nobis optabilia magis, quam comperta videntur. Quamuis malorum hominum absentia, pax diuturnior, consuetudo cum Graeculis hominibus, ipsa coeli in Oriente clementia ^z), atque earum rerum, quae ad vitae incunditatem ^a) pertinent importatio ^b) id omnino cum veritatis specie suadere videantur ^c).

§. IX.

3) Videtur hoc loco non alienum mentionem inlicere de origine nouae linguae tum in Oriente ex variarum nationum colluue confatae, cuius adhuc in Asia atque Aegypto, inter mercatores atque ipsos Turcas viget vsus, linguae, quae vocatur, Francorum, s. Christianorum, iam illis enim temporibus omnes Christianos hoc nomine venisse testatur. CONR. VRSP. p. 247. Francos vniuersos Occidentales populos nominant.

z) De hoc GVIBERTVS p. 471. Graeci homines pro aëris et coeli, cui in-

nari sunt puritate, cum sint leuioris corpulentiae, et ideo alacrioris ingenii. caer.

a) CONRING. de Urbibus German. p. 112.

b) Certius est multum inde elegantiae, ac lautitiarum ad exemplum Graecorum Impp. aulis nostrorum Principum esse innectum.

c) Nescio an referri huc possint abrogatio tam feruitutis, de qua mox quam consuetudinis barbarae bona naufragorum intuadendi, de qua LAMBERTVS in Origg. Hamburg. l. II. p. 56.

Explicit Commentatio prima.

Wittenberg, Diss., 1774-76




3

f

sb.







DE
VTILITATE
EXPEDITIONVM CRVCIATARVM

COMMENTATIO HISTORICA
PARS PRIOR

PRAESIDE

IOANNE MATTHIA SCHROECKHIO

HISTOR. PROF. PVBL. ORDIN. ET BIBLIOTHECAE ACA-
DEM. DIRECTOR. DESIGNATO, INSTITVT. REGII HISTO-
RICE GOTTINGENS. MEMBRO ORDINAR. ET SOCIETATIS LATIN.
MARCH. BADENS. SODAL. HONORARIO

D. X. IAN. MDCCLXXVI.

HORIS ANTEMERIDIANIS

IN AVDITORIO MAIORI

DEFENDENDA

AB

AVCTORE

GODOFREDO AVGVSTO MEERHEMIO

AA. MAG.

VITEBERGAE,

EX OFFICINA BOEHMERIA.